

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

4 Vtrum violentia uoluntati possit inferri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](#)

quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens; ex eo, quod non agit: sed solum tunc, cum potest, & debet agere. Si enim gubernator non posset nauem dirigere, vel non esset ei commis- sa gubernatio nauis, non imputaretur ei nauis submersio, que per absentiam gubernatoris continget. Quia igitur voluntas volendo, & agendo, potest impedi- re hoc, quod est non velle, & non agere, & aliquis debet, hoc quod est non velle, & non agere, imputar- tur ei, quasi ab ipsa existens: & sic voluntarium potest esse aliquid auctu, quandoque quidem ab auctu ex- teriori cum auctu interiori, sicut cum vult non age- re: aliquando autem & absque auctu interiori, sicut cum non vult.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod voluntarium dicitur non solum quod procedit a voluntate direc- te, sicut ab agente, sed etiam quod est ab ea indirec- te, sicut a non agente.

AD SECUNDUM dicendum, quod non velle dicitur dupliciter. Vno modo, prout sumitur in vi animi di- citionis, secundum quod est infinitum huius uerbi: Nolo. Vnde sicut cū dico, Nolo legere, sensus est, Volo non legere: ita hoc quod est, Non velle legere, significat, Velle nō legere: & sic, Non velle, causet in- uoluntarium. Alio modo sumitur in vi orationis, & tunc non affirmatur auctus voluntatis: & huiusmo- di, Non velle, non causat inuoluntarium.

AD TERTIUM dicendum, quod eo modo requiri- tur ad voluntariū auctus cognitionis, sicut & auctus voluntatis, ut scilicet sit in potestate aliquius considerare, & velle, & agere, & tunc sicut non velle, & nō agere, cum tempus fuerit, est uoluntarium, ita etiam non considerare.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum violentia voluntati possit inferri.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod volun- tati possit violentia inferri. Vnumquidque enim potest cogi a poteriori: sed aliquid est huma- nae voluntati potius, scilicet Deus. ergo saltem ab eo cogi potest.

¶ 2 Præt. Omne passuum cogitur a suo auctiuo, quā immutatur ab eo: sed voluntas est uis passua, est in- motus motum, ut dicitur in 3. de anima.* cum ergo aliquando mouetur: a suo auctiuo, uidetur quod aliquando cogatur.

¶ 3 Præt. Motus uiolentus est, qui est contra naturā: sed motus voluntatis aliquādo est contra naturam, ut patet de motu voluntatis ad peccandum, qui est contra naturam, ut Damasc. dicit. ergo motus no- luntatis potest esse coactus.

SED CONTRA est, quod Augusti. dicit in 5. * de E ciuitate Dei. Quod si aliquid sit uoluntarie, non sit ex necessitate: omne autem coactum sit ex necessi- tate. ergo quod sit ex uoluntate, non potest esse co- actum. ergo uoluntas non potest cogi ad agendum.

RESPON. Dicendum, quod duplex est auctus uolun- tatis, Vnus quidem, qui est eius inmediate, uelut ab ipsa elicitus, scilicet uelle. Alius qui est auctus uoluntatis a uoluntate imperatus, & media: ut alia potentia exercitus, ut ambulare, & loqui, qui au- luntate imperantur mediante potentia motiva. Quantum igitur ad auctus a uoluntate imperatos, uoluntas uiolentiam pati potest, inquantum per uiolen- tiam exteriora membra impediri possunt, ne im- perium uoluntatis exequantur: sed quantum ad ip- sum proprium auctum uoluntatis, non potest ei uiolen-

tia inferri. Et huius est ratio, quia auctus uoluntatis ni- hil est aliud, quam inclinatio quadam procedēs ab interiori principio cognoscente: sicut appetitus na- turalis est quedam inclinatio ab interiori principio, & sine cognitione: quod autem est coactum, uel uiolentum, est ab exteriori principio, vñ contra rationē ipsius auctus uoluntatis est, quod sit coactus, uel uiolentus: sicut etiam est contra rationem naturalis in- clinationis, uel motus lapidis, q̄ feratur sursum (potest n. lapis per uiolētiā ferri sursum) sed quod iste motus uiolentus sit ex eius naturali inclinatione, es- se non potest. Similiter etiam potest homo per uiolentiam trahi, sed quod hoc sit ex eius uoluntate, re- pugnat rationi uiolentie.

AD PRIMUM ergo dicendum, q̄ Deus, qui est po- tentior quam uoluntas humana, potest uoluntatem mouere, secundum illud proverbiū, Proverb. 21. Cor regis in manu Dei est: & quounque uoluerit, uertet illud. Sed si hoc esset per uiolentiam, iam non esset cum auctu uoluntatis: nec ipsa uoluntas moue- retrn, sed aliquid contra uoluntatem.

AD SECUNDUM dicendum, quod non semper est motus uiolentus, quando passuum immutatura suo auctiuo, sed quando hoc sit contra interiorem in- clinationem passuum: alioquin omnes alteraciones, & generationes simplicium corporum essent inna- turales, & uiolentiae: sunt autem naturales propter naturalem aptitudinem interiorem materiæ, uel si- bieti, ad tales dispositiones. Et similiter quando uoluntas mouetur ab appetibili, secundum propria- im inclinationem, non est motus uiolentus, sed uoluntarius.

AD TERTIUM dicendum, q̄ id, in quod uoluntas tendit peccando, esset malum, & contra rationē naturam secundum rei ueritatem, apprehenditur tñ ut bonum, & conueniens homini secundum aliquā delectationem sensus, uel secundum aliquem habi- tum corruptum.

ARTICVLVS V.

Vtrum violentia causet inuoluntarium.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quod uiolen- tia non causet inuoluntarium. Voluntarium e- nem, & inuoluntarium, secundum uoluntatem di- cuntur. Sed uoluntati uiolentia inferri non potest, ut oftensum est.* ergo uiolentia inuoluntarium cau- sare non potest.

¶ 2 Præt. Id quod est inuoluntarium, est cum tristitia, ut Damasc. & Philosophus dicunt: sed aliquis pati- tur aliquis uiolentiam, nec tamē inde tristatur. ergo uiolentia non causat inuoluntarium.

¶ 3 Præt. Id quod est a uoluntate, non potest esse in- uoluntarium: sed aliqua uiolenta sunt a uoluntate, si- cut cum aliquis cum corpore graui sursum ascēdit: & sicut cum aliquis inficit membra contra natu- ralem eorum flexibilitatem. ergo uiolentia non cau- sat inuoluntarium.

SED CONTRA est, quod Philosophus & Damasc. dicunt, * quod aliquid est inuoluntarium per uiol- entiam.

RESPON. Dicendum, q̄ uiolentia directe oppo- nitur uoluntario, sicut etiam & naturali. Cōmune est in uoluntario & naturali, quod vtrumq; sit a princí- pio intrinseco: uiolentum autem est a principio ex- trinseco: & pp hoc, sicut in rebus, quae cognitione carent, uiolentia aliquid facit contra naturā, ita in rebus cognitionētibus, facit aliquid esse cōtra uolunta-

Prima Secunda, S.Thom.e.

C 3 tem:

Supra ar. 4.
co. 7. & infra
art. 6. ad 1.
& q. 73. art.
6. co. Et 2.2.
q. 88. art. 6.
ad 1. Et ma.
q. 6. cor.
2. ar. præce.
† li. 2. c. 24.
3. Ethic. cap.
1. tom. 5.

* locis in ar.
gu. 2. iam ci-
tatis.